

Rauennas de antiquo ciuitatis statu scripserit: Paupertas inquit ibi cum diuitibus sub æqualitate uiuit: Vnus omnes reficit cibus: habitatio similis omnia concludit: nesciunt de penatibus inuidere: & sub hac degentes mensura: uicium fugiunt: cui mundus obnoxius est: Mitto reliqua quæ ille longiore prosequitur epistola: quam Bonitendus suis commentariis inseruit: His auspiciis nata est Veneta ciuitas: per hos mores: per hæc studia augustam traduxit infantiam: his demum uirtutibus adoleuit & coaluit. Et quia ut reor abunde constat: quæ fuerint tanti Imperii initia: de prima eius administratione pauca referam. Nam in hoc quoque eos qui de rebus Venetis commentarios quosdam scriptos reliquere uariare uideo. Horum quidam tradidere consulari potestate cœptam esse rempu. administrari ab his qui Riuumaltum tenuere: Scribuntque Galienum Fontanam: Simonem Glauconium: & Antonium Caluum: qui per id tempus Patauii consules erant quum circa Riuumaltum fundari noua urbs cœpisset: consulari potestate primos omnium nascenti illi præfuisse. Fuerunt qui crederent his auctoribus ortam esse a Patauinis fugam: atque in hæc loca primo migratum ædificarique cœptum: Apud quosdam pro his Albertum Phalerium: Thomam Candianum: & Daulum Comitem reperio. Tertio ab urbe condita anno noui consules in biennium creati: Marinus Linius: Hugo Fuscus: & Lucianus Graulus: quidam hos quoque Patauio consulari potestate in Riuumaltum missos affirmant: ex quo aperte intelligi potest originem urbis Athilæ aduentum omnino præcessisse: Consules in tertium biennium creati. Marcus Aurelius: Andreas Clodius: & Albinus Maurus: qui hos secuti sint non reperio: At credibile est eam administrationis formam usque ad Athilæ aduentum permanisse: Quibus temporibus quum iam circumiectæ insulæ incolæ cœpissent: Tribuni pro consulibus cœpti sunt creati: Apud nonnullos scriptum reperio aliquanto post Athilæ aduentum id factum: ut anno circiter sexagesimo ab urbe condita tribunitia potestas cœperit in insulis haberi: ubi iam omnia frequentius incolerentur. De tribunorum creatione res primo est ut solet inter paucos agitata: Inde frequentissimo insulanorum conuentu decretum: ut in singulis insulis singuli tribuni crearentur essetque is magistratus annuus: suis popularibus ius diceret: seueraque animaduersione scelera uindicaret: Cætera uero quæ ad reipublicæ statum attinerent frequentissimo insulanorum concilio consultanda reliquere: Adhuc quæ scripsimus si quis recte omnia consideret ad originem urbis spectant: Hinc de eius infantia dicere incipiemus: Sic enim quibusdam scriptoribus uideo placuisse in quibus est Florus: ut incrementa urbis per partes quasdam humanæ uitæ distinguerent: infantiam: adolescentiam: & iuuentam: Tribunitia igitur administratio que origini iuncta est: infantia iure optimo nominabitur: De his igitur quæ interim domi forisque gesta sunt ordine dicemus: si prius illud lectori testatum reliquerimus: Longobardicis temporibus quæ in urbis infantiam inciderunt magna ex parte auctam ciuitatem: Nam ita sane accidit ut Venetis rebus adhuc Hunnico tumultu trepidantibus: Longobardi qui ab eo quæ longam barbaram alerent ita nominati dicuntur: Alboino duce undecimo eius gentis rege Italiam ingressi Venetos inuasert: quorum opes longe ante fractas primo aduentu oppressere: Quicquid enim continentis oræ fuit continuo suæ ditionis fecere: Maritimas uires quas haud utique contemptibiles esse nouerant tentare non sunt ausi: aut certe

Consularis
administra
tio

Tribunitiæ
potestatis
origo

De urbis in
fantia
Longobar
di